

Praecepta *judicialia* seu ad oeconomiam reipublicae christianae spectantia, Christus non dedit nisi quatenus Ecclesiam hierarchicam instituit cui fideles omnes subesse jussit.

Leges immediate a Christo latae videntur afficere omnes homines, eo sensu quod omnes obligantur ad Ecclesiam ingrediendam et, postquam illam ingressi fuerint, ad implenda cetera praecepta quae baptismum supponunt, ex. gr. suscipiendi S. Eucharistiam. Ratio est quod, saltem a tempore quo Apostoli per omnem terram Evangelium praedicavere, sufficienter promulgata est lex Christi ut moraliter in omnium cognitionem venire possit. Quodsi multi eam adhuc ignorant, ii propter deficientem cognitionem legis ab ea servanda excusantur. (n. 102)

§ 3. DE LEGE ECCLESIASTICA.

135. Pleraque quaestiones de hac lege jam supra enodatae sunt, praecipue Cap. II. § 1. Hic manet tantum tractanda quaestio satis implexa de auctoritate decretorum quae a SS. Congregationibus Romanis eduntur.

Breves quasdam notiones praemitemus de iis Congregationibus quarum decreta frequentius a Theologis Moralibus citantur.

1^o *Congregatio S. Officii seu Romanae et Universalis Inquisitionis* a Paulo III anno 1542 instituta. Ei praesidet ipse R. Pontifex. Illius S. C. est judicare de causis haeresis vel aliorum scelerum quae, ex Jure, aliquem de haeresi suspectum faciunt; insuper quaestiones ad fidem et sanam doctrinam pertinentes decreto disciplinari dirimere.

2^o *S. Congregatio Indicis* a S. Pio V instituta et a Benedicto XIV novo ordine composita. Haec, tamquam subsidium S. Inquisitioni ferens, libros fidei vel moribus infensos reprobat ac prohibet.

3^o *S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum*, quae brevius dici solet *S. C. Concilii*, a Pio IV anno 1564 erecta. Haec initio nullum aliud munus habebat quam ut Concilium Tridentinum interpretaretur. Postea autem a Pio V et Sixto V insuper potestatem accepit dirimendi tum per viam iudicii, tum per viam interpretationis, dubia quae, etiam extra Tridentini materiam, in quacumque Juris canonici parte orirentur. Decreta sua, interdum sua tantum auctoritate, interdum, in gravioribus rebus, consulto R. P. emittit.

4^o *S. Congregatio Episcoporum et Regularium*, in unam conflata e duabus quas Sixtus V anno 1587 erexit, alteram super negotiis Episcoporum, alteram super negotiis Regularium. Ejus est dirimere causas quae exoriantur inter Episcopos vel Regulares, et definire quaecumque ad rectum statum et regimen Ordinum regularium pertinent.

5^o *S. Congregatio Rituum* a Sixto V instituta ad cultum Dei recte ordinandum et abusus exstirpandos. Haec quoque curat quaecumque ad processus beatificationis et canonizationis spectant.

6^o *S. Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX anno 1669 erecta, cum munere curandi ne indulgentiae apocryphae vulgentur, nec reliquiae falsae colantur, et dirimendi quaecumque dubia et difficultates de utrisque occurrant vel proponantur.

7^o *S. Congregatio de Propaganda Fide* erecta a Gregorio XV anno 1622 ad tractanda omnia negotia quae ad fidem in universo mundo propagandam pertinent. Ipsi subsunt omnes missiones et regiones quae ad instar missionum administrantur.

Non raro quoque, praesertim in materia matrimonii vel censurarum, citantur responsa *S. Poenitentiarum Apostolicarum*. Hoc est tribunal ad absolutiones, dispensationes similesque gratias conferendas institutum. Habet Major Poenitentiarius facultatem declarandi, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum "dubia omnia in materia peccatorum seu forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia." (Bened. XIV Const. *Pastor bonus*)

136. In quaestione de vi decretorum quae a Romanis Congregationibus eduntur, semper supponuntur decreta *plane authentica*. Scilicet oportet ut a Praefecto Congregationis firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita producantur vel alia ratione de eorum authentia constet. Generatim in rebus gravioribus non nisi consulto R. P. edi possunt. Ceterum de authentia decretorum hodie vix dubium manebit, sive quod in authenticis decretorum collectionibus reperiuntur, sive quod ephemeridibus fide dignis ubique vulgantur.

Authenticitate supposita, satis constat de sequentibus:

1^o Vis verae Constitutionis Pontificiae inest iis decretis quae, ab aliqua S. Congregatione exarata, specialiter a R. P. approbantur, additis clausulis clarissimis, et ad omnes locorum Ordinarios mitti jubentur. Nemini enim dubium esse potest quin haec documenta auctoritate simul et promulgatione requisita polleant. Exemplo sit decretum *Quemadmodum* jam supra (n. 87) citatum.

2^o Tenentur omnes catholici "se subicere decisionibus, quae, ad doctrinam pertinentes, a Pontificiis Congregationibus proferuntur." Ita Pius IX in epist. ad Archiep. Monac. 21 Dec. 1863. (Denz. n. 1537) Tales autem decisiones doctrinales eduntur praecipue a S. Officio. Cfr. epistolam a Leone PP. XIII ad Archiep. Mediolanensem 1 Junii 1889 datam, qua vehementer queritur de iis qui, ob inanes praetextus, obcedentiam detrectabant decreto S. Officii quo 40 Propp. Rosminianae proscriptae fuerant. (Act. S. S. t. 21. p. 709 seqq.)

3^o Licet omnibus *tamquam probabili* adhaerere sententiae quam Romanae Congregationes theoretice statuunt vel practice sequuntur. Hinc nemini licet aliis imponere obligationem quam decreta Romana esse negant, vel rejicere probabilitatem alicujus opinionis quam eadem decreta affirmant vel supponunt.

137. Ut autem stricta obligatio in foro conscientiae definiatur, juvat, claritatis causa, distinguere inter declarationes quae generaliter et motu proprio a SS. Congregationibus eduntur et eas quae ex aliqua particulari occasione proferuntur.

1^o Declarationes quae *proprio motu* eduntur et ad omnes diriguntur, practice omnes obligant. Nam, si *extensivae* sunt (cfr. n. 111), non obligant quidem tamquam decreta Congregationis, quae novas leges ferre nequit, sed tamquam leges a R. Pontifice per Congregationem latae. Numquam enim vere extensivae declarationes videntur ad omnes dirigi sine speciali approbatione R. P. et promulgatione sufficienti. Si vero mere *comprehensivae* sunt, obligabunt etiam ob auctoritatem quam R. P. hujusmodi Congregationibus, praesertim S. C. Concilii, dedit leges ecclesiasticas consulto R. P. interpretandi.

2^o Difficultas potissima versatur circa decisiones particulares quae vel ad causam aliquam dirimendam feruntur vel tamquam responsa ad dubia SS. Congregationibus proposita dantur. Hae procul dubio jus faciunt in causa particulari ad quam dirimendam latae sunt; sed dubitari potest num etiam in similibus casibus et ab omnibus tenenda sit illa legis ecclesiasticae interpretatio cui innituntur.

Duplex autem sententia probabilis inter AA. viget. Cfr. S. Alph. l. 1. n. 106. Alii obligationem affirmant, eo quod ita satis manifestatur voluntas SS. Congregationum quae facultatem interpretandi authentice leges ecclesiasticas acceperunt. Neque obstare defectum promulgationis harum decisionum existimant, eo quod promulgatione indigent quidem leges novae, non autem leges jam existentes.

Alii obligationem negant ob defectum promulgationis. Hac autem indigere illas declarationes perinde ac novas leges ex eo deducunt quod, quando fiunt de rebus adeo dubiis ut possint exstare opiniones contrariae circa legis intellegentiam, declarationes hujusmodi novis legibus aequivalent. Hanc sententiam tamquam probabilem tuetur S. Alph. (l. c.), qui tamen postea (Quaest. recentius reform. Quaer. II) excepit " declarationes quae jam in Ecclesia universaliter divulgatae et facto sic promulgatae fuerint, usu plurium annorum vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, quibus censet fideles omnes obligari. Reliquae igitur declarationes sententiae oppositae probabilitatem non tollunt, nec dirimunt controversias inter AA. de sensu legis vigentes. Ita, inter recentiores, D'Annib. (l. n. 184. nota 5) et Ball. P. (n. 32).

138. Illud certe diligenter cavendum est ne sine magna circumspectione decisiones pro uno casu datae ad similes extendantur, vel responsa particularia tamquam norma generalis proponantur. Saepe enim ex ipso verborum tenore patet decisionem restringi ad casum concrete S. Congregationi propositum; ut cum quaesitum est: " An constet de valore matrimonii *in casu.* " Neque allegantur in responsis rationes quae S. Congregationem moverunt ad hujusmodi sententiam ferendam. Ideo non raro continget ut aliqua peculiaris ratio, puta consuetudinis, scandali vitandi, juris tertio quaesiti, etc. eam inducat ad sententiam ferendam quam in aliis adjunctis non tulisset. Quare primum est errare eos qui hujusmodi responsa specie tenus generalia vel decisiones causarum tamquam legem universalem proponant. Exemplum talis erroris habes in iis qui, e pluribus sententiis S. C. Concilii, irrita declarantis matrimonia haereticorum in locis in quibus Tridentinum promulgatum fuit, deduxerant universe nulla esse eorum matrimonia coram ministro acatholico inita. Ut scribit Bened. XIV (in Declar. anni 1741 de matrimoniis Hollandiae, et de Synod. l. 6. c. 6. n. 4), talia responsa particularia innitebantur circumstantiis quae non ubique erant eadem et expositioni quae de illis S. Congregationi fuerat exhibita.

Cfr. de hac quaestione Aichner. Comp. J. Eccl. § 18; Lehmkuhl, t. I. nn. 200-206; Ball. P. de Leg. nn. 31-34; Bouquillon, Theol. Mor. fund. n. 113, seqq. D'Annib., l. c.

139. De decretis S. Congregationis Rituum quaedam speciatim notanda veniunt.

Ex responso ejusdem S. Congr. a Pio IX probato 17 Julii 1846, constat " decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis formiter editas eandem habere auctoritatem ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae. " Ut autem *formiter* editae fuerint, requiritur et sufficit ut subscriptae fuerint a Praefecto et Secretario S. C. R. ejusdemque sigillo munitae. (S. C. R. 8 Apr. 1854) Dubium ergo non est quin decreta, quae *tenore suo universalia sunt et ad omnes episcopos mittuntur*, etiam sine approbatione R. P. omnes obligent, sicut et particularia decreta servanda sunt ab illa dioecesi, ordine religioso et similibus pro quibus lata sunt.

Insuper satis concors est AA. sententia, ab omnibus servanda esse illa decreta quae legem seu rubricam antea existentem modo plane comprehensivo interpretantur. Cfr. Lehmkuhl, l. c. n. 206; Aichner, l. c. nota 11. Quod praesertim verum est ubi decisio a S. C. post maturam rei discussionem emittitur ut in aliquo puncto juris ambiguitas tollatur. Idem etiam tenendum de iis decisionibus quae pluries jam similibus responsis confirmatae et ita aequivalenter promulgatae sunt.

Resolutiones autem prorsus particulares et declarationes (si quae fiunt) manifeste extensivae legum praeesistentium, non videntur obligare nisi eos ad quos diriguntur. Quae enim pro uno loco sancuntur non propterea ad alios pertinent in quibus alia possunt esse adjuncta, consuetudines, etc. Neque ipsa R. P. oracula, pro uno loco edita, universum orbem obligant vel, sine sufficienti promulgatione, ubique servanda sunt. Ideo S. C. R. interrogata num ipsius decreta, indulta et decisiones datae in casibus particularibus applicabiles sint et adoptandae in similibus casibus, respondit (8 Apr. 1854) : " Negative et semper recurrendum in casibus particularibus. „ Item interrogata " num possit sustineri sententia juxta quam ea dumtaxat decreta universaliter obligent quae vel formatiter sunt generalia, vel aequivalenter generalia, i. e. non lata ob causam peculiarem alicujus loci vel dioecesis et S. Pontificis approbatione munita „ respondit (10 Dec. 1870) : " Consulat probatos auctores. „ (Buccer. Enchir. p. 6) (1)

§ 4. DE LEGE POENALI.

140. Jam supra explicatum est (n. 106) quid intellegatur per legem moralem, pure poenalem, et mixtam. Hic autem quaedam notanda veniunt de lege pure poenali et mixta, tum in Jure ecclesiastico, tum in Jure civili.

I. IN JURE ECCLESIASTICO.

1° In hoc Jure vix ullae leges *mere poenales* reperiuntur. Quare leges quibus adnexa est poena praesumendae sunt mixtae donec contrarium probetur. (Lehm. I. n. 208) Mere poenales sunt regulae quorundam Ordinum religiosorum : quae a quibusdam etiam *directivae* nuncupantur ut obligatio ad culpam excludatur. (Vol. II. n. 87)

2° Legibus ecclesiasticis interdum annectuntur poenae ipso facto incurrendae. Non ideo tamen incurruntur semper ante sententiam qua crimen commissum declaretur.

Nempe, ante talem sententiam incurruntur censurae latae sententiae; poenae quae impediunt tantum ne jus acquiratur, et potius inhabilitatem quam poenam proprie dictam constituunt, ex. gr. poena statuta a Tridentino (Sess. 23. c. 1. de ref.) contra clericos non residentes, ne fructus

(1) De hac speciali quaestione, praeter AA. supra citatos, consuli possunt Acta S. Sedis, t. 3. p. 563. appendix 12. Hujus scriptor testatur se ex ipsis registis S. C. R. exscripsisse responsum a nobis citatum 8 Apr. 1854, quod in collectione Gardelliniana non reperitur.

faciant suos ; tandem poenae condicionales, quia, proprie loquendo, condicio sunt sub qua aliquid datur, et ideo non implens condicionem tenetur ante omnem sententiam dimittere quod sub ea recepit, ex. gr. electus in episcopum, si intra sex menses non consecratur, tenetur dimittere episcopatum.

Nemo vero tenetur ante iudicis sententiam *declaratoriam*, se privare jure jam acquisito, ex. gr. si quis commisit scelus ob quod lex edicit amitti, ipso facto et nulla expectata sententia, vocem activam et passivam, beneficium, bona temporalia, etc. quae jam possidere coepit. Ratio est, quod in poenis benignior interpretatio est adhibenda. Jamvero, licet verba legis absolute ita intellegi possint ut reus has poenas subire debeat, nulla impositione poenae a iudice facta, non necessario tamen excludunt *declarationem* iudicis de crimine admissio. Insuper si actio positiva ex. gr. restituendi, requiritur, nimis arduum videtur quod lex humana cogat reum ad poenam in seipsum exsequendam. Cfr. Salmant. de Leg. c. 2. n. 56 seqq.

141. II. IN JURE CIVILI.

1° Extra dubium est potestati civili inesse jus ferendi leges quae, praeter poenam temporalem, in conscientia obligent. Hoc enim e natura legitimae potestatis, quae a Deo sit, sequitur et abunde constat tum Scriptura (ex. gr. Rom. XIII, 5), tum Traditione.

2° Communiter inter DD. convenit plures leges civiles, sive e primaeva legislatoris intentione, sive ex universali consuetudine, esse mere poenales, ex. gr. leges quae prohibent venationem in silvis publicis.

3° Hodie facilius admitti potest leges civiles plurimas esse mere poenales, eo quod civiles legislatores ab omni obligatione in conscientia abstrahere velle proclamant : unde etiam, in multis saltem regionibus, invaluit inter cives haec persuasio, illaesa conscientia violari leges civiles.

4° Falsum tamen videtur obligationem in conscientia legi civili deesse, eo quod legislatores eam imponere non expresse intendunt. Sufficit enim ut *stricto sensu* imperare velint, neque obligationem hanc diserte excludant. (Bouquill. Th. Mor. fund. n. 210) Immo etiam multae sunt leges a quibus talem obligationem excludere nequeant, eo quod eadem ad bonum reipublicae statum est necessaria, ex. gr. leges quae proprietatis jus inter cives determinant. Cfr. D'Annib. I. n. 206 seqq. Ceterum quaestiones difficiliore de obligatione legis civilis suo loco tractabuntur, praesertim in Tr. de Just. et Jure.

§ 5. DE LEGE IRRITANTE.

142. DEFINITIO. Lex irritans ea dicitur quae invalidos efficit actus qui, inspecto tantum jure naturali, validi essent. Potestatem tales leges ferendi tum Ecclesiae, tum Statui competere extra dubium est: non enim satis provisum esset bono communi si talis facultas utrique legislatori in materia sua non esset tributa. Nec propterea lex positiva praevalet naturali. Haec enim ipsa postulat auctoritatem socialeam eamque potestate irritandi munitam. Ideo, antecedenter ad legem positivam, non sancit jus naturale modo absoluto ut talis actus, ex. gr. testamentum, sit validus, sed tantum sub condicione, i. e. nisi obstet auctoritas ecclesiastica vel civilis. Cfr. Ball. P. n. 130.

143. DIVISIO. Varias sunt leges irritantes:

1^o Lex directe afficere potest *personas*, easque incapaces reddere ad actus quosdam valide ponendos. Haec etiam dicitur lex inhabilitans. (D'Annib. I. n. 212) Exemplo sint in Jure ecclesiastico leges quae consanguineos ad matrimonium inter se contrahendum ineptos faciunt; in Jure civili, leges quae uxorem generatim incapaces faciunt valide contrahendi absque mariti licentia vel judicis interventu. (C. C. a. 217) — Potest quoque lex directe afficere *actum*, statuendo ut is irritus sit vel saltem rescindibilis quotiescumque certae juris sollemnitates non servantur. Ita Jure ecclesiastico irritantur, multis in locis, matrimonia clandestina; Jure civili, testamenta formis legalibus carentia.

2^o Lex quandoque irritat actum *per seipsam*, nulla interveniente judicis sententia etiam mere declaratoria, ex. gr. matrimonia cum impedimento dirimente inita; quandoque illum validum esse sinit donec *per judicis sententiam* irritetur. In priore casu, actus hujusmodi nullos effectus sortiuntur; in posteriore, licet iis inniti, tamquam validis, donec per sententiam judicis irritentur; huic tamen, utpote justae, omnino standum est.

3^o Lex irritans praecipue fertur *intuitu boni communis* (n. 142) ideoque non necessario supponit aliquam culpam in ponente actum invalidum; quandoque tamen rationem *poenae* habet, ut in impedimento criminis matrimonium dirimente.

4^o Lex irritans per se non est prohibens, ideoque non necessario peccat qui ponit actum quem lex invalidum declarat, ex. gr. condens testamentum in quo non servantur, justas ab causas, formalitates legales. Attamen non raro simul actum *irritat et prohibet*. Res manifesta est cum, disertis verbis, irritationi adjungitur actus prohibitio; potest quoque deduci ex eo quod actus attentatus in seipso turpitu-

dinem involvit (ex. gr. matrimonium ab utraque parte impedimenti dirimentis conscia attentatum), vel alii, qui defectum ignorat, damnum inferre possit (ex. gr. si notarius testamentum, praetermissis sollemnitatibus, exararet). Cfr. D'Annib. I. n. 215.

144. PRINCIPIUM. Ignorantia invincibilis non tollit irritationem quae non sit statuta in poenam delicti: manet enim tota legis ratio, nempe communis utilitas qua haec irritatio postulatur. Ideo nullum est matrimonium quod bona fide cum impedimento dirimente inicitur.

Ubi vero irritatio in poenam delicti inducta est, tollitur quotiescumque ignorantia a culpa excusat. Ratio est, quod irritatio se habet ad culpam ut effectus ad causam; hac ergo deficiente, et illa evanescet. At si culpa quidem admittitur, ignoratur vero poena irritationis, AA. in oppositas sententias abeunt. Alii, ut Suarez (de Leg. l. 5. c. 22. n. 4), censent manere irritationem: quia talis ignorantia non excusat peccatum contra legem, et consequenter neque excusat poenam, licet ignoretur; ergo neque excusat irritationem. Alii, ut Sanchez, Schmalzgrueber, citati apud Ball. P. (n. 139), opinantur probabilius non manere invaliditatem. Ratio est, quod regulariter ii qui delinquant incurrunt poenas delicto proportionatas, etiamsi eas ignorant, non autem *extraordinarias*, nisi et eas delinquendo cognoverint. Jamvero irritatio est poena extraordinaria et exorbitans, ideoque ab eam ignorantibus non incurritur.

In Tr. de Matrimonio (Vol. II. n. 468) agitabitur quaestio num maneat lex irritans quando servari nequit sine gravissimo incommodo communi vel particulari. Nam, cum vix practica sit nisi in impedimentis dirimentibus, commodius una cum iis examinabitur.

§ 6. DE PRIVILEGIIS.

145. DEFINITIO. Privilegium definitur: lex privata, speciale aliquod beneficium aut favorem contra vel praeter Jus concedens.

Dicitur *lex* analogice tantum quatenus, dum durat, ceteros obligat ne privilegiatum impediatur quominus hoc beneficio fruatur; *lex privata*, quia regulariter ad personam privatam pertinet, vel, si communitati confertur, haec consideratur tamquam pars communitatis superioris quae lege obligatur. Differt autem a dispensatione non tantum privilegium *praeter jus*, quod per se patet, sed etiam privilegium *contra jus*, quia hoc datur cum aliqua stabilitate ad modum legis, dum illa ex se nullam stabilitatem involvit. (Schmalzgr. in lib. 5. Decr. t. 33. n. 1 seqq.) Ob eandem rationem differt privilegium a beneficio quod alicui a principe modo transeunte confertur, neque ullum jus stabile tribuit ad